



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

Feria VI. Petitio Charitatis ad Patrem cœlestem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

ritus faciendi & docendi : denique spiritus gratiarum & virtutum in proprium meum commodum , & gratiarum gratis datarum , in commodum aliorum : ita ut per efficacissimam factæ hujus communionis virtutem fiat discipulus sicut est Magister ejus ; eaque faciat opera admiranda, quæ ille fecit , ad solam & majorem Magistri sui honorem & gloriam. Amen.

## FERIA VI.

*Petitio Charitatis ad Patrem cœlestem.*

## I.

O Pater æterne ! Quid juvat , si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam ? nunquid ero velut æsonans aut cymbalum tinniens, cujus sonus, non vivus, sed mortuus, alios excitat ad faciendum quod sonus indicat ; ipsum verò loco non movetur ? Quare gratiam tuam copiosam mihi infunde ; ut æmuler charismata meliora , & adhuc excellentiorem viam , quam demonstrat Apostolus , ingrediar , viam scilicet divinæ charitatis, quæ omnium virtutum & gratiarum vita & anima est. O Sacramentum amoris ! confer mihi hodie te sumentibus hanc



hanc gratiam: ut diligam te, Domine, vitus mea, & diligar à te, tibi que soli placeam. Amen.

## I I.

**O** Christe Fili Dei vivi! qui dixisti: Ignem veni mittere in terram, & quod volo nisi ut accendatur? mitte, quæso, hac sacra Communione ignem hunc divini amoris in frigidum cor meum, ut accendatur & ardeat. Communica mihi tam sublime charitatis supernaturalis donum, sine qua omnes aliæ gratiæ sine merito & mortuæ reputantur: *Si enim habuero prophetiam & noverim mysteria omnia & omnem scientiam, & habuero fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum, quia in nihilo, in peccato remaneo. Absorbeat me igitur, mi Jesu, vis melliflua amoris tui, ut amore amoris tui vivam & moriar, qui amore mei dignatus es mori, sed nunc vivis & regnas in secula, Amen.*

## I I I.

**O** Divine Spiritus! ignis amoris ad cuius incendium Pater in Filium, & Filius in Patrem mutuâ dilectione eliquatur: in hac



hac sacræ Eucharistiæ perceptione infun-  
 de obsecro animæ meæ tepidæ genuinum  
 Dei & proximi amorem, qui solus Filios  
 Dei à filiis diaboli, Discipulos Christi à di-  
 scipulis mundi discernit. Hoc pretioso  
 amore obtento dives sum, eo remoto, in  
 inopia & miseria permaneo: *si enim di-*  
*stribuero in cibos pauperum omnes facult-*  
*ates meas, & si tradidero corpus meum,*  
*ita ut ardeam; charitatem autem non ha-*  
*buerò, nihil mihi prodest,* quia in peccato  
 hæreo, etiamsi profit aliis, quorum neces-  
 sitatibus subvenio; & licet corpus ardeat,  
 cor tamen alget. Quare ô Sancte Spiritus  
 vinculum & nexus amoris inter Patrem  
 & Filium, hoc me tecum amore conjun-  
 ge, qui omnium vitiorum sit interitus,  
 operum verò sanctorum principium; qui  
 omnes, omnes virtutes secum colligatas  
 adducat, & tanquam Regina omnibus im-  
 peret: hunc amorem si dederis, di-  
 ves sum satis, & nihil ultra de-  
 sidero. Amen.

☉(o)☉

SAB-